



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

§. 47. S. Ludovicus eorum libertatem flagitat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

§. XLVII.

Sæcul. XIII.
A. C. 1241.*Sanctus Ludovicus eorum libertatem
flagitat.*

Rex Sanctus Ludovicus comperta Gallicorum Præfulum captivitate, ad Imperatorem misit Abbatem Corbejensem & Gervasium Scriniorum Curatorem cum litteris, quibus Præfulum libertatem flagitabat. Fridericus respondit iterando querelas de Papa Gregorio. *Utroque, inquit, gladio contra me usus, concilium, ut damnarer, convocaverat. At Deus malam ejus intentionem videns fecit, ut Præfules meas in manus inciderent, quos omnes tanquam inimicos detineo. Ne mirare igitur, si Gallicos Præfules, qui me in angustias adigere volebant, in arcta teneam custodia.* S. Ludovicus in altera epistola constantem hactenus Franciæ cum Imperio consensionem illi ob oculos posuit. *Hanc turpisti, addit, capiendo Præfules Regni nostri ad Apostolicam Sedem euntes, quo, cum abnuere jussa nequirent, jurata eos obedientia vocabat. Episcopi (quod hic videmus) in Gallia, sicut ubique alibi tunc credebantur accersentem Papam non posse non adire. Ex eorum epistolis, pergit Rex, cognovi, si Papa quidquam contra jus & fas esset molitus, eosdem ne tunc quidem nocere tibi voluisse. Itaque in liberta-*

*Nang. Gest.**to. 5.**Duchesne**p. 336.**Petr. de Vin.**l. ep. 13.**Ibid. ep. 12.*

Sæcul. XIII. *bertatem illos restituere debes. Id serio*
A.C. 1241. *cogita! Nam Regnum Gallicum non est*
tam infirmum, ut insectationes tuas am-
plius ferat. His litteris haud defuit ef-
fectus, dum Imperator quanquam invi-
tus Gallos omnes dimisit liberos.

Ric. S. Ger.
p. 1036.

Interim se longius semper in Italia & latius extendebat, vastans agros circumjectos urbibus ingressum denegantibus. Faventia Fanum, dein Spoletum, hoc capto Assisium venit: & sumptibus belli suffecturus, sui in Italia Regni Præsules mense Junio Melphiam convocatos astrinxit, ut sibi Domino suo templorum thesauros, scilicet supellectilem argenteam, ornamenta serica, & gemmas commodarent; id quod per duos menses proximos urgebat. Omnes has opes in urbem S. Germani prope Montem Cassinum congeri iussit. Inter alia mensa aurea, quæ hoc in cœnobio ante aram S. Benedicti stabat, & argentea ad altare Beatissimæ Virginis posita auferebatur. Sed Ecclesiæ thesaurorum partem pecuniis redeemerunt.

§. LXVIII.

Vastitas Hungariæ a Tartaris illata.

Ibid. Eodem mense Junio 1241 Imperatori nunciatum est, Tartaros magis semper